

Vg
5336





Ad. 191. 4013 4014
Bl. 191 (10)

Vg
5336

ORATIO

De

B. MARTINO LUTHERO;

Evangelicæ veritatis Assertore & Vindice
incomparabili.

In almâ Wittebergensi Academiâ,
ex memoria recitata

â

JOHANNES Frommen / Branden-
burgensi Marchico.

In Auditorio Majori,

Anno clō lōc LVII. die XI. Novembr:

quo anniversaria constantissimi hujus He-
rois, & cælo penitus demissi

VIRI MEMORIA,

feliciter recurrebat.



WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.

4



1773

1773

ORATIO
 B. MAZZEIO LUTHERO
 Praesidentis Academiae
 in
 die 17. Junii 1773
 habita



RECTOR
ACADEMIÆ WITTEBER-
GENSIS
MICHAEL
SENNERTUS,
Med. D. Anatomes & Bota-
nices Profesor Publicus.
CIVIBUS ACADEMICIS
S. P. D.

JActaverit suas Pyramides Ægyptus vetus, ostentavit
Ephesinum templum prisca Asia, extulerit sese in muris
suis, cum adhuc staret, Babylon; habet in uno LUTHE-
RO Germania in quo præmineat longè, & illis miracu-
lis omnibus, quæ mundus stupuit olim, aliquod magis mi-
rum in oculos ingerat. Latebat altissimis tenebris cœlestis
demersa veritas: crassissima ignorantia inceserat animis:
pro religione superstitio, pro pietate vanitas & idololatria
regnum invaserant. Quicquid dictabat Romanus Ponti-
fex, hoc adorare omnes unum, hoc credere cuncti delapsum
cœlo, nec tam æquandum divinarum literarum oraculis,
A 2 quam

quam preferendum. Quicquid de optimo Servatore
condiderant sectatores ejus, quicquid Paulus Tarsensis, &
ceteri veritatis pracones docuerant, illud in tenebris cum
blattis & pulvere luctabatur. Commenta inania, & poë-
tarum figmentis vaniora versabantur omnium manibus,
omnium animos advertebant. Citius audisces, nescio
quibus Divis Divabusq̄, quam JESU CHRISTO, uni-
co optimoq̄ opitulatore, allegari preces. His vota sua as-
signabant: his commendabant necessitates suas infelices:
ab his auxilium, opem, salutem, tanquam à tutelaribus
numinibus, miseri exspectabant. Ingens cæcitas; & qua
vix major olim paganorum animos obsedit. Neq̄ verò
Italiam suam tantum premebat hæc tyrannis Romana; ;
quam latè princeps terrarum Europa pertinet, tenebat im-
potentiæ fasces. Hos venerabatur omnis Teutonum tel-
lus, hos Gallia Hispaniaq̄, atq̄ Pannonia adorabant. Neq̄
Septemtrio deerat servire, quâ maximas partes corporis
sui nobiscum connectit. Tot innitentem igitur opibus, tot
Regum elatam servitio, tantâ præterea vetustate annorum
munitam firmiter altissimeq̄ fundatam, unus aggressus ho-
mo inermis concussit, dissipavit, evertit. Vocavit ad li-
bertatem omnes, populos maximos ac civitates in liberta-
tem etiam justo asseruit triumpho. Quæ tum in ipsum
struebantur machine? Quæ tendebantur fraudes, insi-
diæ, doli? Quæ vis infesta surgebat undiq̄, elisura, si pos-
set, conata ejus, aut oppressura vitam caputq̄ conantis?
Nequicquam tamen. Superabat hæc omnia atq̄ exhibat
liber, illesus, incolumis, nec nisi suâ morte finiendus.
Quamdiu vixit, victor fuit, & in cineribus suis, contra
tantos furores, adhuc quotidie triumphat. Quis crederet?

ret? nisi qui reputet secum, quibus quantisque veritas viri-
bus polleat: Et quam humane opes consiliaque nihil possint
contra destinationes divinas. Non valent arma, non doli
procedunt adversus eos, quos sua provisionis arcana Deus
ministros legit, Et instrumenta concinnavit sibi, quibus ef-
ficienda opera sua deleget. Miserabatur tunc Numen vi-
delicet errores ac infelicitatem mortalium; Et post ab-
actam feralem illam ac diuturnam noctem, reddere tan-
dem orbi diem lucemque cupiebat. Evanescere itaque tene-
bras, Et rumpi caliginem ad Solis novi ortum; redu-
ctoque atque asserto cultu verissimo Numinis, concidere super-
stitionem Et idololatriam necesse erat. Quae unquam di-
gna satis grates auctori incomparabilis muneris dici a no-
bis ac reddi, Deo? Quae laudes pro meritis interpreti e-
jus ac collatori LUTHERO, tribui possunt? Sed cum u-
trumque officium frequentari semper debeat, tum obeundum
imprimis nunc erit, cum illa recurret lux, quae illum indi-
ctum Heroa dedit terris, Et prima nobis indulsit. Vetus
quippe religio est, magnorum virorum natales colere, Et
quorum mœruimus obitus, eorum exortus venerabiliter
recordari. Suscepit has partes in se literatissimus Juvenis
JOHANNES Fromme / Brandenburgensis Marchicus,
recitaturus ad diem Mercurii proximum Orationem ex me-
moria de vita LUTHERI, qui ante hos CLXXIV. annos
precedentis diei vespere, seu adolescente nocte potius, na-
tus Islebiae est. Conscripta Oratio sermone Latino eleganti
ac terso est: ut pietatem hominis, venustas sermonis etiam
commendet. Favebitis itaque instituto ejus Et nona matu-
tinâ diei illius in loco solenni ad audiendum convenietis
frequentes. Quis non libenter commemorantem de illo

Viro audiat, cuius tanta ac tam divina merita sunt, ut omnem estimationem longè excedant: & ita quidem commemorantem, ut dictionis etiam genere capere animos tenereque posse videatur? Interim Deum immortalem precari par erit, ut candidissimum illud, quod ministerio operaque LUTHERI de suo lumine in mentibus nostris accendit lumen, ne offuscari unquam exstingui, sed plena clarissimaque lucere luce, & longius longiusque spargere sinat radios, qui, quicquid tenebrarum alibi residet, pererrumpant fortiter atque illustrent. P.P. DOMINICA XXIV. post Trinitatis, anno recuperatae gratiae MD LXX.

IN

IN NOMINE JESU CRUCIFIXI!

MAGNIFICE DN. RECTOR,

Speſtatiffimi Collegiorum Academicorum Decani, VIRI admodum Reverendi, Ampliffimi, Excellentiffimi, Conſultiffimi, Experientiffimi, Eruditione magni & Clariffimi, Dnn. Praeceptores, ac Promotores omni obſervantia atq; honoris cultu aeternum proſequendi. Tuq; generis ſplendore, virtutum decore, artium flore commendatiſſima Dnn. Studioſorum Corona, Amici ac Commilitones honoratiſſimi.

SI novitas dicendorum ſpectanda modò eſt, neq; repetere idem argumentum denuò licet, vereor maximopere, ne parùm grata auribus veſtris afferam, de MARTINO LUTHERO dicere in præſenti ingreſſus. Nam quotuſq; pene eſt, qui non commemoranda ſibi pridem duxerit, merita Viri incomparabilis, & imitanda proponere publicè; cùm ſola extare in animis omnium oculiſq; dignitate rerum mererentur. Deindè, quis ille tam uber atq; divinus Orator eſt, qui, paria LUTHERO dicere ſe poſſe, fiduciam ſumat? Grande ambiguumq; eſt de Viris ſummis exponere, quorum altiffimæ mentes, cùm de Cœlo plurimum trahant, non intelligi ſatis à tarditate noſtræ, & æſtimari ex vero poſſunt: magis etiam dicentis apparatus omnem ſuperant. Videbor iccirco magnum quid præſtiſſe, ſi non in ipſo limine ſtatim, ac primo aditu, hæreo; præcipuè, quòd in hac totius terræ Orbis clariffimâ luce, & coram Vobis, verba facienda ſunt,

IN

sunt, quorum excellens magnitudo, non nisi facundam
& elegantem orationem, (at quæ infantia mea?) posce-
re videtur. Ego verò cum, uti semel in isto consti-
gradu, sic in amplissimum hunc campum excurrere,
omninò habeam necesse. In eo præsidium quæram
maximè, quòd, qui argumentum Orationi dedit, MAR-
TINUS LUTHERUS, ita meritis de religione com-
muni, omnibusque nobis est, ut nec charior temerè
aut sanctior memoria ulla esse debeat, sed digna inpri-
mis, de quâ assiduè aut meditatio instituat, aut sermo.
Quamquam enim nullius Viri ingentis & de humano ge-
nere præclarè meriti, negligenda recordatio sit: cele-
branda illorum tamen inprimis est, qui non vitam &
spiritum; non conjuges, liberos, cæterosque affectus no-
stros, virtute ac sapientiâ suâ à pernicie atque interitu,
fractâ propulsatâque eorum vi atque nequitiâ, qui impete-
bant, vindicarunt; sed mentes animosque nostros etiam
ab ignorantia, à superstitione ac impietate liberarunt,
& patefactâ veritate monstrarunt viam, quâ ad æternam
salutem & felicitatem, promissam fidelibus à Servatore
optimo, per ejus vestigia ire liceat. Nam tales tacere
atque negligere, quid aliud esset, quàm conculcare ma-
xima beneficia Numinis atque projicere? sine quo neque
nasci magna aliqua virtus, neque exerere se, & bene me-
reri de publico potest. Quod si Herculem suum men-
dax Græcia, quod afflictam sublevasset Patriam, & tot
turpissimis monstris bestisque liberasset, immensis tulit
laudibus, omnisque generis cultu prosequuta est: quan-
tò magis LUTHERUM nostrum ad Cœlum, quod dici-
tur, tollere convenit, & quantis hominem par est, ho-
noribus sanctè semper colere ac venerari? Non enim
hic

hic corporum & fortunarum nostrarum res acta est, sed
animarum, quas perdere, multo pejus graviusque est,
quam non habuisse. Igitur, cum pestilentes opiniones,
quæ quasi contagione quâdam Orbem Christianum in-
fecerant, & obsidebant facto agmine, dissiparet, extingue-
ret, exterminaret; quantam vaso mali molem à cervi-
cibus nostris LUTHERUS depulit? Quæ res, sicuti subli-
mioris cujusdam ac divini auspicii consiliiq; fuit, ita
nutu imprimis ac directione Dei gesta quoque deinceps
est, ac digna semper visa mihi, quam recolerem gratè &
admirarer. Nunc deniq; statui mecum, memoriam
tanti Viri, ac res divinè gestas, oratione quâdam, in hoc
vestro, AUDITORES, splendidissimo consessu, publicè
exponere. Nam, quamvis probè conscius mihi sim in-
fantia ac tenuitatis meæ, obsequendum illis tamen fuit,
qui istud oneris mihi impositum volebant, quorum au-
thoritati refragari sine manifesto crimine non possum.
Imò, si Virorum illustrium quorumvis natales haud
tantum, verum excessus ac obitus etiam celebrari so-
lenniter & coli solent, ne, dum posteritas illos amplius
cernere nequit, pariter & eorum memoria conticescat:
cur non hoc pietatis genus præcipuè illi, lubentiq; ani-
mo exhiberem, qui pro religione verâ ac purâ, pericula
mortis omnia parvi duxit, eaq; in re decus & nomen im-
mortale sibi comparavit. Honorent alii defunctos ma-
gnis ex are & marmore molibus: erigant sumptuoso
artificio statuas: ego tenui Oratiunculâ LUTHERI
nostri memoriam cohonestare aggredior. Vestra au-
tem benevolentia, AUDITORES, concilianda oratio-
ni meæ initio est, ut his veluti secundis subvecta velis,
quem sibi proposuit portum, facilius consequatur. Quem

B

diligit

diligit quisq; & facit magni, de eo lubentissimè verba fieri audit. De vestrà igitur facilitate præclara omnia atqve eximia mihi ausim promittere. Nam qui non amet virtutes tantas, & venerabiliter recordetur LUTHERUM, nemo certè ex Vobis est.

BEatus ille, & nunquam sine maximis laudibus nominandus LUTHERUS, quamvis & ipse initio ex Monachis unus, ordinarièq; & mediatè ad officium Ecclesiasticum vocatus fuerit; postea tamen deprehensis suggestione divinâ erroribus, veritatem cœlestem agnovit, agnitam aliis explicavit, explicatam fideliter propagavit, propagatamq; fortiter defendit, in quâ etiam ad extremum usq; vitæ halitum constanter perstitit: de quibus tamen infra fufius audiemus. Ac de Patriâ quidem initio, quæ nascentem IV. Id. Nov. A. O. R. millesimo quadringentesimo octogesimo tertio, horâ noctis undecimâ LUTHERUM excepit, ut breviter dicam, ISLEBIA illa fuit, Comitatus Mansfeldici Oppidum, metallis celebre, ac de cætero quoq; Annalibus priscis passim memoratum: sed potius existimo, majorum scrutari originem & disciplinam, atq; exponere, adeò, tum ex quibus natus *noster*, tum quibus rationibus atq; doctrinis institutus fuerit. Equidem de genere LUTHERI, deq; natalibus egregium aliquid atqve excellens afferre, fortè vix licebit, cum is contigerit genitor, qui nec majorum splendore illustris, & ipse per se non alio, quàm Viri boni nomine apud cæteros notus esset. Vetus tamen, & non obscura penitus LUTHERORUM, in Comitatu isto, familia jam tum fuit. At hic verò Pater ejus, JOHANNES LUTHERUS, (non incubus, ut mentiuntur ejus adversarii ex Cochlæo, sed fosfor metallicus,) postquam aliquot annis in
Oppi-

Oppido ISLEBIA, ubi hunc instauratorem cœlestis
veritatis natum esse diximus, domicilium habuisset,
in eam demigravit Civitatem, quæ toti huic Comita-
tui nomen abs se dedit, ibiq; ob simplicitatem mo-
rum, & vitæ integritatem, omnium juxta amorem &
benevolentiam facilè sibi conciliavit, adeò, ut Magi-
stratum quoq; deinceps, offerentibus ultrò civibus, ge-
reret, & MARGARITA, JOHANNIS Conjux, *no-*
stri Mater, ornatisima fœminarum, suiq; sexus exem-
plum meritò haberetur. His natus Parentibus *noster*,
illicò in sacramentum adactus est, & fidem Servatori
suo solenniter dedit, altero à nativitate die. Qui cum
MARTINI, Ecclesiæ Turonensis in Galliâ olim Episco-
pi, memoriæ sacer esset, *nostro* etiam nomen tale de-
dit, nec sine omine profectò. Educatus postea in Pa-
rentum sinu adolevit feliciter, pietate erga Deum in-
primis, obsequioq; & veneratione in Parentes conspi-
cuus. Quod genus modestiæ adeò observavit sollicitè
semper, nunquam uti per omnem vitam Parentum o-
pificum illum pigeret puderetve, secus quàm hodiè, ne-
scio quo fastu, nonnulli faciunt, qui neminem, nisi Li-
terati nomine veniat, suâ conversatione, familiâ, aut
serie majorum, dignum existimant, arbitrati nempè,
se, quia literis (multum, parum) tincti habentur, quo-
rumvis hominum statu & vitæ genere digniores esse:
itaq; contemptim ferè habent cæteros, interdum con-
viciis quoq; exagitant, parùm memores, sæpè vel Pa-
rentes, vel Avos, vel Proavos, eadem vel similia, inter-
dum & sordidiora exercuisse opificia, indeq; victitasse.
Quibus nihil aliud reponendum judico, quàm illud, quod
olim magnus ille ÆGIDIUS HUNNIUS Senior, quum
sub finem anni millesimi quingentesimi nonagesimi se-
cundi,

tundi, & initium anni supra millesimum quingentesi-
mum nonagesimi tertii, RECTOR hujus Academiae, de
hujusmodi exagitationibus, querelas auscultasset mul-
tiplices, datâ occasione pro Concione dixit: (utor illi-
us verbis;) Wenn man manchem die Bauer-adern auß
dem Leibe schneiden solte / er würde wenig Blut behalten.
Longè alia mens nostro B. LÜTHERO fuit, qui Paren-
tes, quantumvis opifices, filiali reverentiâ coluit & a-
more debito prosequutus est. Sed hæc Viri commen-
datio erit: nunc ad discantis parvuli Gymnasia rever-
tendum est. Quamquam verò nihil solidæ certæq; lau-
dis prima hominum ætas habeat, non tamen pigendi
res operis erit, tantum Virum etiam eâ parte, quâ mi-
nor fuit, describere. Jucundum est, cogitare illos an-
nos, qui ostendere magnam indolem stricturâ radio-
rum solent, & divinare quodammodo, quantum hi ra-
dii splendoris, lucis, claritudinis in posterum robustiori
ætati promittant. Prorsus verò agnosco hîc secretæ ar-
canæq; quiddam è Cœlo constitutionis, quæ repurgan-
dæ religioni, & instaurando cultui sacro, causam & vi-
rum moliebatur: hincq; profectam intelligo vim illam
felicissimæ indolis efficacissimæq; industriæ, quâ divini-
tûs induuntur animi, magnarum rerum Auctores futu-
ri, ut his, tanquam ingenio appositis alis, promptè sem-
per, & cum successu, subvehantur. Traditus igitur li-
teris hic *noster*, celerrimo profectu per insuavia illa stu-
dii severioris rudimenta, & molestos Scholarum inferi-
orum pulveres, ad majora exurrexit: quæ prima gau-
diorum Parentibus seges, & non vulgaris spei coorta oc-
casio est. Jamq; MARTINUS tertium & decimum age-
bat annum, cum jussu arbitrioq; Parentum, Magdebur-
gum

gum concessit; ubi tamen vix unicum, in continuan-
dis studiis, consumpsit annum: nam vi ingenii acerri-
mâ multum pollens, & jam idoneus, qui Eloquentiam,
in quam naturâ suâ & quodam genii instinctu fereba-
tur, accuratiùs aliquantò excoleret; missus à Parenti-
bus ISENACUM est, florentissimâ Scholâ, nobile tùm,
in quâ non Rhetorum modò, sed cæterarum quoq; Ar-
tium ac Disciplinarum instrumentalium, ut vocant, præ-
cepta tradebantur. Hic commoratus aliquandiu, mi-
rum est, ut divitiis orationis & verborum copiâ abun-
daverit: non in soluto solùm sermone, sed & in versi-
bus æquales omnes superans longè, & ita instituens ra-
tiones suas, ut nec industriâ, nec probitate vitæ cuiquam
alii cederet. Memorabile est, quod ISENACI contigis-
se sibi ipsemet prædicavit. Cùm enim ibi canendo
ostiâtim victum conquiret, factum est, ut bis terve
panis frustum diminueretur: quod, cùm mirum ei vi-
deretur & insolens, quasi jam ab omnibus desertus esset,
domum redire vacuus cogitavit. Vidit hoc mater quæ-
dam familiâs, quæ miserta illius, de cursu revocavit, pa-
nemq; impertivit. Exemplum id esse judicavit divinæ
providentiæ, quæ non permittat panem deesse Schola-
sticis, qui doctrinæ piæ & salutari, studium suum dare
constituerunt. Ita ergò fundamentis probè jactis, fa-
cilè quidvis superstruere poterat; moxq; In Academiæ
lucem pariter & exercitationis firmioris palæstram pro-
gressus, primum omnium *Erfordiam* adiit, illam inge-
nuarum Artium, nobilissimum isto tempore Empo-
rium. Hic in Dialecticâ initio fuit occupatus, quam a-
vidè etiam, summoq; studio integram ita addidit, ut
sagacitate ingenii multis postmodum aliis facilè præva-
leret.

B }

leret.

leret. Versatus simul fuit in aliis Artibus ingenuis, literisq; Latinis juxta ac Græcis, quin & Ebrais, quarum eruditissima monumenta, tum abstrusa insuper, & latentia ferè, dies noctesq; volvebat terebatqve, optima quæqve & præstantissima decerpens indè atq; ediscens. Adeò ab incunabulis eminuit inusitati hujus altitudo ingenii, & ad fastigium æterni ac immortalis nominis properans sapientiæ amor. Auctos occasione ipsa impetus magni subinde successus in ejusmodi certamen exacuerant, quod tu non cum ingenis commilitonum, aut Profesorum Votis, sive Parentum spe; sed cum ipso, quod in exuperabile omnes credunt, tempore certare diceres. Quo factum est, ut publicæ dignationis merito suo capax, anno ætatis vicesimo solenniter & maximo omnium applausu, titulum Magistri atq; honores adipisceretur. Apparebat tum porrò mirandum & omnis scientiæ capax ingenium ejus, ut nihil tam arduo positum esset loco, quo non generosus hic animus cupidè anhelaret atq; evaderet. Audiebant docti pariter & indocti divinam in eo facundiæ copiam: tantâ enim animi contentione in studio dicendi desudarat, ut eloquentiâ ejus auditâ, crederes utiq;, eum nihil aliud per omnem vitam, quàm hoc, egisse. In universum verò variæ possessione sapientiæ pectus instructissimum gerebat. Tanta suavitas tantaq; sermonis illius gravitas, ut nemo ab illo, nisi cum admiratione, recederet. Accesserunt ad hæc summa ornamenta & dona, virtutes aliæ, communes illæ quidem cum piis multis, sed eximiè tamen prædicandæ; Temperantia, Despicientia rerum externarum, divitiarum, honorum, voluptatum &c. Non Stoicus fuit, sed verè humanus erga omnes piè recteq;

recteque sentientes : adversus Sophistas autem & pertinaces, durus atque acer. Hinc communicatis consiliis in eam praecipue curam incubuerunt agnati, ut in luce Reipublicae victurus olim MARTINUS, juris peritia maxime imbueretur; sed vix inchoato hoc labore, cum annum ageret vicesimum primum, sponte quadam sua, vitam Monasticam Erfordiae ingressus, & in Collegium, quod ibi erat Augustinianum, receptus est, in quo itidem vitae sanctimoniam vel maxime insignis & disciplinae severitate, studiorumque & jejuniorum, ut & precum exercitio frequenti celebrior factus, universam societatem longo post se intervallo reliquit. Cepit vero ibidem, relicto juris atque Legum studio, tractare sacra, & navare Theologiae operam. Id agente tum fato, ut qui Religionis puritatem asseriturus deinceps erat, comparatis mature instrumentis, & scire ipse praecleara, exponereque publice, ac sufficere undique tam nobili muneri, parque esse posset. Praecipue autem disputandi vi ac facilitate conspicuus erat, quae non obscure aut indiserte disputantium partibus functus, ob incomparabilem hanc disferendi facilitatem ac solertiam, in extricandis adversarum sententiarum nodis, omnium eruditorum applausum & laudem largissimè consequeretur. Quid porro de prudentia & lenitate animi dicemus? Quid de inusitata industria summaque contentione ac studio, egregiis quibusque rationibus de Ecclesia & sacris literis assidue merendi? Quo cum accesserit innocentia morum ac procul omni simulatione sanctitas, quid ei defuisse putabimus ad consummatam gloriam ac laudem? Et erat stimuli cujusdam instar ad tantam pietatem, cui ex Scripturae testimoniis solide eruditus, omne suum tempus

is, li-
arum
& la-
ptima
scens.
tudo
minis
im-
amen
num,
n ipso,
ertare
is me-
maxi-
nores
um &
arduo
us cu-
ariter
enim
t elo-
id per
n vero
m ge-
avitas,
. Ac-
rtutes
ed exi-
tia re-
m &c.
es pie
ecteque;

pus seriò devoverat justus ille animi religiosi pavor, quoties scilicet de irâ Dei & severitate pœnarum, non sine sensuum terrore & consternatione cogitabat: suo ita exemplo omnibus verè Christianis facem præferens. Lingva certè deficit, & laudis pondere oppressâ, hoc tantùm allaborat dicere: plurima prudenter eum legisse, optima cuncta meminisse. Egerat Erfordiæ hæctenus, per annos quatuor, in Augustini ordine & Monachorum cœtu. Cùm verò ELECTOR FRIDERICUS III. cognomine SAPIENS, hîc Wittebergæ, anno millesimo quingentesimo secundo, operâ *D. Jobannis Staupitii*, Academiam excitasset, *Staupitius* verò MARTINI LUTHERI, in re Theologicâ eruditionem cognovisset, illum anno millesimo quingentesimo octavo Wittebergam, jussu *Electoris*, ad Professionem Theologicam evocavit, ubi cùm summa statim ornamenta, & dona planè divina in illo elucerent, ita ut propter acrimoniam judicii, insigniter à primo Rectore *Mellerstadij* Studiosis fuerit commendatus; ipse modò laudatus *Princeps*, ingenio LUTHERI explorato, dignum ipsum docendi officio vel maxime judicavit. Tum temporis ipsi provincia explicandarum Epistolarum Pauli demandabatur, quam lubens etiam in se suscepit; in explicatione autem errores de bonis operibus & externâ sanctitate, dexterrimè refutavit, ex Scriptura sacrâ, ceu legitimâ Normâ, meritum Christi, pro peccatorum expiatione unicè sufficere, luculenter ac solidè demonstrans. Nulla unquam virtus diu latet, etiam cùm tegitur modestè, & cunctanter profertur in lucem. Emicat illicò & illustrat latè, omnesq; in admirarionem sui & amorem trahit. **Q**uod & LUTHERO nostro accidit. **Q**uan-

Quantquam enim verecundus esset, & non ingereret sese
aut ostentaret ingenii vires, nota tamen in publicum
erat præstantia Viri, nec fallere poterat tanta ejus pru-
dentia, & variarum rerum usus, quod verba publicè
faceret sæpè, in Auditorio, in Templo, gratior indies ac
suo hominumq; voto major. Nec Physicæ quidem ac
Logicæ explicationem abnucebat, quoties id per altiora
illa ipsi liceret. Mirantibus omnibus interim, tam va-
riarum rerum cognitionem comparasse LUTHERUM
jam tum, & verò sufficere etiam laboribus tantis, am-
plissimamq;, cui destinatus erat, professionem Theo-
logicam, Juvenem sustinere posse. Vix emensus ibi an-
num integrum, ita tandem profecit, ut jussu ac sumpti-
bus *Gloriosissimi Electoris FRIDERICI III.* ipso Doctoris
gradu, anno ætatis suæ tricesimo, solenniter ornaretur.
Hoc consecutus LUTHERUS, nil novi quidem fecisset,
sed de priore assiduitate, labore & diligentia paululum re-
misisset, quemadmodum ferè solent honores mutare
mores, & multi id, quod semel sunt consecuti munus,
non tam rigidè tractant; ast ille nullo modo pigrescere
coepit, aut à laboribus abstinere, sed potius acquisita
gradus dignitas, quam eequidem, contentus modico, &
fastus ac supercilii omnis strenuus contemptor, initio
admodum recusasse legitur, immensum ipsi, ad majo-
res conatus, addebat calcar, indeq; nomen ejus ac fa-
ma in dies magis magisque crevit. Quantum cæteris ad
rem domesticam obeundam, quantum ad festos dies
ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates,
& ad ipsam requiem animi atq; corporis conceditur
temporis, quantum alii tribuunt intempestivis convi-
viis, quantum deniq; alex: tantum sibi ad studia reco-
lenda

C

lenda

Quan-



lenda fumebat. Atq; incredibile fermè est, quo impetu
semper ad divinos labores fuerit latus; monstrabat Le-
gis & Evangelii discrimen: convincebat omnes, qui iusti
volebant esse coram Deo externâ disciplinâ & propriis
operibus: devios fortè, in Scripturæ semitam fideliter
revocabat; at metu fractos, consolans, & gratuitam æ-
ternæ pœnæ, propter Salvatorem, communem remis-
sionem annuncians, confirmabat. Auctoritate inpr-
mis plurimum apud omnes semper valuit. Responde-
bant enim vitæ mores orationi docentis, ipsaq; doctri-
na non ex ore; sed ex pectore proficisci videbatur. Gra-
vitas insuper, quid dico Gravitas? Majestas potius ex
vultu & oculis, omniq; gestu, elucebat. Quæ sicut ve-
rissima in universum sunt: ita commemorationem eo-
rundem Vobis etiam, AUDITORES *omnium ordinum*
honoratissimi, gratisimam fore, omninò confido. Igno-
scite igitur, si in tam amplâ materiâ & donorum, quibus
præditus *θαυμαστός* noster fuit, tantâ abundantia, ma-
gis quàm consuetudo postulat, dicendi materiâ obrutus
prolixior fuerim. Etenim res gestas LUTHERI dignè
qui sit enarraturus, huic non Demosthenis majestas,
non Ciceronis copia suffecerit. Ac dignæ inprimis sunt,
quæ diebus propè singulis, ad omnem ætatum memo-
riam, commendentur, quas omnis stylus, omnis dicen-
di ratio prodat ac celebret, quàm conditores Historia-
rum monumentis victuris tradant posteris, Poëtæ divi-
nitate carminum, cœlo ipsi inscribant. Nec tantum
summis Viris comparandus; sed extra sortem humanam
positus propè, ac propior Deo judicandus est, qui divi-
no afflatu primus incensus, & Heroico animi impetu
impulsus, Tyrannidem & idololatriam Pontificiam de-
bilita-

bilitavit ac fregit, doctrinamq; puram, ex puris Israëlis fontibus haustam, in lucem revocavit, revocatamque coram imperio universo exterisque Nationibus, confessione apertâ constantiq; propagavit; de quo incomparabili & plus quàm heroico facto, si accuratè omnia, atq; uti conveniebat, exponenda condignè essent; non horæ unius; sed longissimi temporis postulandum spacium foret. Utinam verò magnus ille, Deoq; plenus Evangelii præco, exurgeret nunc redivivus iterum, & testaretur ipse, quàm sudaverit Ecclesiæ bono, in abrogandis superstitiosis Monachorum ritibus, & deturbandâ sophisticâ eorum, in docendo, barbaricè; quàm profesus intrepidè veritatem cœlestem defenderit eam acriter, & oppugnaverit contra errores noxios; quàm læsus variè, & tantùm non obtritus aliquando, ingruentibus undique minis, telis, anathematismis, proscriptionibus: nisi vis major eum sustentasset perpetuò, texissetq;, & salvum tandem incolumemq; locasset in tuto. Aderat jam faustum Reformationis tempus, cui operi interesse ipse Deus contestatus est. Anno enim millesimo quingentesimo decimo septimo, tribus Saxonix Principibus, FRIDERICO, JOHANNI & JOHANNI FRIDERICO, mediâ nocte, in festo Nativitatis Christi, Vinariæ crucem sanguinei coloris lucidissimam, in sudo & sereno cœlo conspiciendam, tanquam tesferam Evangelii à foribus Pontificiis repurgandi, exhibuit: Romam autem eo die, quo Leo XXXI. Cardinales creabat, & multa aureorum millia ab iis corradebat, tanto impetu concussit, ut ingenti fulminis & tonitruï tempestate templum, in quo sacra peragebantur, feriret, & sculptus puerulus è gremio effictæ Mariæ virginis, clavesq; è manibus Petri excide-

exciderent. Quod sanè omen multi Romanorum, portendere ruinam sedis Romanæ, interpretabantur. Verum enim verò seorsim quæq;, ac per species, ut loquebantur antiqui, consideremus, & ante omnia quidem ipsam totius, circa religionem instaurandam, fati dispositionem. In suo stadio cum versaretur LUTHERUS, ecce mittuntur per omnes Regionum angulos, præsertim Germaniam, venalia diplomata ac indulgentiæ à Leone X. Pontifice Romano, in quibus interventu pecuniæ, omnium delictorum expiationes, æternamq; salutem promittebat; precio vendens facultatem, carne, similibusq; vescendi rebus. Circumferebat has cum primis *Johannes Thezelius*, Dominicanus, impudentissimæ frontis circulator, qui Francofurtum postremò ad Oderam delatus, ibi quoq;, expositis mercibus, rude & superstitiosum vulgus, variè concionibus suis traxit, uno illo generaliq; proposito: omnes uti auro emungeret. Hinc assererebat impudenter, ad primum nummi in cistam immisi sonitum, animas defunctorum ex purgatorio emitti & liberari. Sed quid fit? Motus absurditate dogmatum LUTHERUS, & quod videret, accipi ista vulgò, & credi ineptè, quæ divulgasset impostor, non id ferendum ultrà duxit; quin obviam ivit, errantesq; monuit publicè, cau ius mercarentur, nec tantos sumptus futilibus rebus impenderent. Affixit autem has suas Theses in hac Wittebergâ nostrâ, foribus Templi Academici, quod Arci *Electoralis* est contiguum, die omnium sanctorum, anno humanæ salutis, supra millesimũ & quingentesimum decimo septimo, sicq; sanctissimo reformationis, ut vocant, operi, primam quasi manum, Spiritus S. impulsu & ductu, adhibuit. *Thezelius* verò
impo-

impotenter æstuans, & ne usquam deesset sibi, non modo ipse se opponit LUTHERO; sed & innumeros alios, sui generis ac sectæ, in eum concitat. A quibus tantâ violentiâ acta res est, ut, cum Auctori vim facere haud possent, in scripta ejus immitterent manum, & Disputationes ejus, ac concionem de indulgentiis, flammis exurerent, rati futurum omnino, ut objecto confusus terrore, sileret deinceps, at Tezelius verò inceptam cum lucro fabulam, impune posset peragere. Id LUTHERUS ubi cognosset, omnes Wittebergensium Studiosos ad se convocavit, atq; in præsentia multorum gravissimorum Virorum, par pari referens, jus Pontificium & postremum Papæ decretum, itidem in cinerem redegit. Et quò magis irascebantur hæc furia, eò copiosius noster LUTHERUS diserebat, veræq; fundamenta sententiæ, incomparabili styli gravitate tuebatur; quàm tamen, ut moderaretur, valdè hortatus est *Saxoniæ Elector* FRIDERICUS. Nam metuebat *sapientissimus cautissimusq; Princeps*, ne publica tranquillitas, si pergeret ita, aliquod adiret discrimen. LUTHERUS verò suo unice innixus Deo, cum per adversariorum allatrationes tranquillo ei esse non liceret, & indocti undiq; scriptores, nova semper certamina, non sine amarulentiâ moverent, strenuè perrexit, & paulatim plurâ atq; majora Papatûs fulcra aggressus, pleraq; labefactavit. Ad hæc multas Disputationes *Eccii*, qui Papæ autoritatem viribus tueri omnibus conabatur, refutavit; cæterum haud multò post, ob divulgatum de Libertate Christianâ Librum, à Papâ proscribitur. His B. LUTHERUS excitator factus, alacriori Spiritu impietatem sedis Antichristianæ, impugnavit. Anno

vicesimo primo *Wormatiam* venit, suæ Confessionis sinceritatem publicè ibidem defensurus; verum, denuò à Cæsare proscribitur, quam ob causam etiam *Elector FRIDERICUS* eum in arcem *Wartenpurgum*, propè Isenacum sitam, & remotiorem paulò ab usu hominum, abducendum curavit. In hac Patmò, otio non dedit ingratum solitudinis tempus; sed ad Archi-Episcopum Magdeburgensem, de privatarum Misarum abrogatione, literas & libros misit. Anno vigesimo quinto, nobilem quandam è sacris Virginibus, ut vocari solent, cui *CATHARINÆ à Born* nomen erat, in matrimonium duxit; scilicet re & factò, quid de calibatu & interdicto Pontificis statueret, quo Clerici tot jam seculis adstringebantur, ostensurus. Prædicemne nunc amplius summam, in reportandâ de Hæreticis victoriâ, animi contentionem, & perpetuum Religionis purgandæ studium? An celebrare aggrediar sacrarum literarum interpretationem? Utrumq; sanè incomparabile est, & majus describentis viribus, qui nec dicendo unquam valui, & hîc verò ad tantam majestatem rerum prorsus hæreo. Pergam tamen, atq; ut facundiæ laude caream, tamen professione pietatis, magnum aliquid præstitisse mihi videbor. Sed quid primum, **ALLDITORES**, quid postremum dicam? certè, quo progrediôr longiùs, eo amplior semper dicendi campus se aperit, & vestra etiam non nimis fatiganda patientia est, cum tædium fortè aliquod, non quasi memoriam Viri ægrè recolatis, sed ex incomperto ac sterili, quo utor dicendi genere, suboriri Vobis possit. Unum tamen dicam adhuc; sed grande illud atq; incomparabile, nempe, cœlestium Librorum, utriusq; fœderis, cum sudore, cum

cum labore diurno, nocturno, paratam ab eo Versio-
nem: in qua fructuosa, sacra eruditionis disciplina, sub-
lato quasi velo, mentibus nostris ostenditur, divina vox
auditur, salvificum verbum continetur, per quam ac-
cenditur vera fides, Lectoris eruditio accrescit, haereses
feliciter evertuntur. Tam grave & operosum onus,
cum sustinuit THEANDER noster, majorem subinde vi,
& extra ordinem instauratum eum fuisse, nemo teme-
re negaverit. Interim singularis in eo fuit, & iis qui-
dem temporibus, rara admodum quatuor cardinalium
Lingvarum cognitio, satis exquisita, de qua testimoni-
um ferunt, ut caetera ipsius monumenta, sic verè Divi-
na, & aureis exscribenda literis S. S. Bibliorum transla-
tio, de qua affirmari potest, non facile ullum adhuc in-
terpretem, Spiritus S. mentem, sic esse assecutum, &
tam feliciter reddidisse, quæ reddi propè haud posse
videri poterant; ut satis hinc perspicere liceat, quod
peritiâ Lingvarum, (singulari Spiritus S. dono,) ad re-
staurandam Ecclesiam non aliter, atq; Apostoli olim, ad
plantandam illam, fuerit instructus. Floret, floret per
hunc ipsum Theologia ad Religionis puritatem, nec in
uno aut altero loco tantum floret; sed per aurea ejus
scripta, in omnes ferè plagas penetravit, adeoq; totum
Orbem pervasit. O rem, omni humanâ cogitatione
sublimiorem! O nuncium verè jucundum & latabile!
Et ô beatos idiotas nunc felicesq; cerdones, qui si Ele-
menta tantum Germanæ Lingvæ, (quæ vernacula est,)
cognita habent, legere in sanctis hisce foliis æternæ bea-
titudinis prasidia possunt, satis tunc docti, satis eruditi!
Hic sacer est ille labor, quo tantoperè de omnibus, de
infantibus ipsis etiam, qui balbutientes modò & literas
agnoscen-

agnoscentes primulùm , depromere illicò delicias istas
possunt, meritus est LUTHERUS. Quid non debetis
ergò omnes vos huic Orthodoxæ Religionis restitutori?
Qui cum neminem non fidei æternæq; vitæ fieri hære-
dem vellet, clausas in Ebræa & Græcâ Lingva divitias,
sine mendâ & errore Vobis reseravit. Hoc est illud do-
ctrinæ & Lutheranae pietatis æviternum monumentum,
totiusq; nostræ Religionis subsidium ingens, quo si de-
stituerentur ineruditi, Laici, opifices; parum fortè ipsis
in cruce lucis, parum in gravamine solaminis, reliquum
foret ac residuum: id quod de Scholâ quoq; LUTHERI
Catecheticâ dicendum habemus. Prostat Vobis, immo-
rgeri, speculum legis ibi; inspicite cum formidine, &
adversam averfamq; emendate pietatem. Habetis ibi
normam fidei, Vos infideles; credite in adorandum SS.
Trinitatis Numen. Habetis brevem, sed pulchram &
efficacem precandi methodum; pulsate egentes, & ape-
rietur. Habetis lavacram leprosi; credite & baptizami-
ni. Habetis cœnam & refrigerium famelici ac lasi!
Resipiscite, comedite ac bibite; & reficiemini. Paucis
ut multa: aureus iste Lutherianorum Catecheticus Li-
bellus, æternum æterni Patris cœlestis de salute ac sorte
nostrâ in Christo consilium & propositum nobis aperit,
admirandam divinam totius hujus universi governa-
tionem, ob oculos ponit, sordes nostras ostendit, ad Fi-
lii Dei incarnati satisfactionem, pro omnibus omnium
mortalium delictis & pœnis sufficientissimam, nos re-
mittit. Quin & organa, (quæ Ministerii & Sacramento-
rum, fideiq; nomine veniunt,) in salutis collatione &
apprehensione continet, & quomodo justificetur coram
Deo homo impius, quomodo per fidem, in Deo & Christo,
justifi-

justificatus vivat, quomodo in fide conservetur, quomodo vitam in verâ pietate transigat & in Spiritu vivat, quomodo tentationes & calamitates varias superet, quomodo tandem vitam in Domino Jesu feliciter cum beatâ morte commutet, inq; communi resurrectionis ac judicii die lætus compareat, & ad beatissimum vitæ æternæ statum transferatur, in quo à malo omni immunis, in beatâ Dei visione, & consortio sanctorum Angelorum, electorumq; hominum jucundissimo, omni bono plenè & æternum cum ineffabili gaudio perfruatur; puritatis Evangelicæ Enchiridion nostrum Catecheticum, sufficientissimè docet & commonstrat. Profectò nec verbis eloqui, nec cogitationibus assequi quisquam mortalium potest immensum hoc Dei beneficium, quod inter tot mundi furores, aliquam sibi inter nos colligat Ecclesiam, quod sinceros Ministros illi continuâ serie adjungat, per quos verbi divini puritas propagari, sacramentorum integritas conservari, multorumq; salus æterna curari potest. Paucos hodiè invenies, qui tam eximium, in nos Dei amorem, agnoscant, pauciores, qui gratis prædicent animis, paucissimos, qui ad Ministerii sacrosancti conservationem mentes manusq; suas, libenter aperiant. Et tanta tamen Dei misericordis tamq; inæstimabilis est bonitas, ut, ingrato quamlibet seculo, fideles tamen cœlestium mysteriorum dispensatores, nunquam denegaverit hætenus, quin potius alios atq; alios subindè copiâ ingenti excitet, qui viam, ad cœlum nobis signatam, verbo commonstrent, nosq; ad summum salutis auspiciem Christum deducant. Redeo ad ipsum LUTHERUM, & ita redeo, ut obitus ejus brevissimâ commemoratione functus, Orationi meæ finem imponam. O cladem immensam! O vulnus inexplicabile nostrum, & cui vix ullæ lacrymæ satis sunt! Refugit igitur

D

tur

tur animus, & meminisse non vellet, ac declinaret potius tam tristis necessitudinem officii; nisi magnorum Virorum natales non modò, sed obitus quoq; venerabiliter recordari, vetus religio esset. Et eo ipso defricabimus quoq; Romanensium quorundam proterviam, qui aspera atq; acerba multa, & à vero planè aliena, in Virum hunc, doctrinæ vitæq; sanctitate conspicuum, effutivè iniquè, ac disperferunt in vulgus. Satis eqvidè corpore valebat LUTHERUS, & benè ut plurimum habebat; nisi quod calculo affligeretur nonnunquam, molestissimo morbi genere, quem tamen is magno animo semper pertulit, parum quoq; interim ab occupationibus, quibus obstrictus erat maximis, remittens. Anno millesimo quingentesimo quadragésimo sexto, Mense Januario, *Islebiam*, ad componendas lites, inter *Comites Mansfeldenses* exortas, proficiscebatur. Non solebat ille quidem ejusmodi negotia tractare, & per omnem vitam suis tantùm studiis vacaverat; sed quia natus erat *Islebi*, non potuit hunc laborem & operam illis atq; Patriæ non præstare. In itinere tenuiori uti valetudine coepit, sed ut indè tamen metuere vitæ, non omninò haberet necesse. Vires interim decrescere occultè visæ, & ex pectore inprimis laborabat; & quanquam intermittebat interdum dolor, ad postremum tamen vehementius institit. Die septimo & decimo Januarii maxime, circa vesperam: ubi cum peractâ cœnâ, fufisq; ex more, ad Deum precibus, acquievisset paululum, expergiscienti instare visa mors, quam ut exciperet paratus undiq; flexis genibus in hunc ferè modum supplicavit: In tuas committo manus spiritum meum, redemisti me, æterne Deus! Cum verò horam mortis propè esse deprehenderet, totum se Redemptori suo permittens, divinam imploravit sollicitè opem, confessionemque suam

suam, sub precum formulâ, ita edidit: Deus, Pater mi
cœlestis & Pater Domini nostri Jesu Christi, Deus omnis
solatii, tibi ex animo gratias, pro manifestatione Filii
tui, exolve meritas, in quem firmâ fide nisus, quem pu-
blicè confessus sum, à cuius cultu, ne latum quidem un-
gvem recessi, quem amplâ laude cumulavi, quemq; Pa-
pa Romanus & reliqua sceleratorum caterva, iniquis lan-
cinat & insectatur contumeliis. Meam ut animulam,
ô Jesu, ex hâc miseriarum valle, ad cœlestia traducas
jubila, ex intimis cordis mei visceribus exopto! O Pa-
ter & corporis & animæ, planè confido, me, licet ex
hoc mundo mihi discedendum, mortaleq;ve corpus sit
deserendum, me, inquam, perpetuâ cœlestis vitæ fe-
licitate, fruiturum esse. Tandem, cùm caput Jo-
hannis tertium, & sexagesimum octayum recitasset Psal-
mum, animamq; suam tutelæ divinæ commendasset;
beatam illam & de Ecclesiâ Christi nostrâq; omnium sa-
lute optimè meritam animam, Islebiæ, ipso Concordiæ
Constantiæq; die, anno ætatis suæ sexagesimo tertio, do-
loris expers ac placidissimè exhalavit. Nec sine magno,
ut putant, omine, quasi nempè discedens LUTHERUS,
concordiam & constantiam Doctorum, in Ecclesiâ Dei,
secum abduxisse videatur. Exiit è vitâ, non aliâ mente,
quàm verè Christianâ, fidemq; in Christum, quam do-
cuerat & professus erat ante, in mortis certamine, & ex-
tremo vitæ puncto, retinuit. Meritò igitur exclamo:
O animosum Tutorem, Ductorem, Doctorem Ecclesiæ,
qui pro salute ejus, vitam exponere, & infinitis sese ob-
jicere periculis, veritus nunquam est! O heroicum pectus,
ardore religioso plenum, quod Wormatiæ suæ Confes-
sionis sinceritatem declarare publicè haud dubitabat, etsi
tot spectra & Diaboli sibi ibi ostenderentur, quot lateres
in universum totius recta Urois, continerent. Puris aquis

& fontibus Scripturæ nos potasti lasfos, nos refecisti agros.
O felicissimum te divinæ voluntatis imitorem, &
vivum omnium virtutum Exemplar, qui Numinis divini
afflatu instructus probè, & cœlitus ad docendum missus
eras. O te castissimum quoq; Spiritus S. Templum ac
Organon! O te pacificum unanimatis amatorem, qui,
an equam ex his discederes vitæ litibus & ærumnis, *Co-
mitum Mansfeldicorum* de finibus & hæreditate disidium
prudenter composuisti. Nemo profectò incomparabi-
lis hujus Theologi aut deplorare obitum satis, aut decan-
tare laudes, dignâq; Oratione transferre ad posteros un-
quam potest. Eâ quippe & excellentiâ ingenii & bonitate
naturæ fuit, eâ virtute & sanctitate morum, tamq; inusi-
tatâ eruditione atq; doctrinâ, ut qui consideret singula,
haud difficulter fateatur, transcendere longè humanæ
conditionis modum, & quiddam divinum atq; cœleste in
iis spirare, quod admirari facilius, quàm dicendo expri-
mere liceat. Unde consequitur etiam, tantò acerbiores
hunc casû fieri, & supra omnes lacrymas positum, quântò
diviniora fuerint, quæ in maximo Viro ademta ac inter-
cepta nobis lugemus ac deploramus. Hoc tamen nobis
mœstissimis animum reddit unicè, quod, etsi præsentia
tuâ, LUTHERE, quæ Angelorum consortia nunc tenent,
carere nos oporteat, tuam tamen virtutem ac pietatem
in Libris tuis cernere adhuc queamus. Salve jam, salve,
ô decus nostrum! Ecce Te victorem Papæ & ejus com-
plicum regia nunc ambit purpura & immarcescibilis lau-
rea. Salve beatissima anima! Non te sœvitia hæretico-
rum lædit amplius; tranquilla & læta es, atq;, ut verbo
dicam, beata. Corpus, (quod Templum arcis fovet,) in
dormitorio suo exspectat vocem excitantis se Christi, &
aliquando cum justitiæ Sole, Christo Jesu, exorietur. Sal-
ve, salve demùm, ac in æternum vale! Vertor jam ad
Vos

Vos iterum, AUDITORES, qui ostendistis præsentia hæc
vestra, quam gratè memoriam istius Viri haberetis. Dum
enim renovatur communis luctus & gemitus, dum au-
diuntur virtutes ejus ac merita, semper agit superstes
LUTHERUS, & admirandus omnibus imitandusq; , pro
virili prostat. Reddendæ etiam Deo gratiæ ac laudes, quod
respirare tandem Patria, ex tot procellis ac tempestatib9,
quibus quasfata misere hæctenus jactataq; est, non nihil
cepit: orandus idem, ut inita pax feliciter expetat, & to-
tam non modò Germaniam recreet, sed & vicina circum
regna, ad stabilem mansuramq; tranquillitatem nobis
devinciat. Defigendus verò hic erit animus in contem-
plationem tot maximarum calamitatum, quas sumus
passi: ponenda ante oculos discrimina atq; pericula, qui-
bus undiq; sumus expositi: investigare oportet causas,
& in originem ipsam descendere, unde tot maximæqve
manarint clades: quâ culpâ nostrâ factum sit, cur tantam
malorum molem immiserit Deus: recogitandum seriò,
quibus officiis, quâ ratione deliniendum Numen, placan-
dumq; sit, ut, quod ostendere beneficium cepit, totâ ma-
nu largiatur, penitusq; concedat, ac proprium nobis atq;
perpetuum faciat. Itaq; summâ pietate animi, summâ
integritate opus est. Petenda venia & detestandum se-
riò fugiendumq; est, quocunq; iram ipsius irritavimus.
Id verò agendum contra, id curandum unice, quod ejus
clementiam demereri queat. Exurge Domine, exurge,
ut dissipentur inimici tui, & fugiant à facie tuâ, qui ode-
runt te, & bella horrida nobis minantur! Protege & de-
fende præpotenti tuâ dextrâ Magistratum, religioni verè
Christianæ addictum, Principes omnes ac Doctores, qui
verbum tuum amore & studio prosequuntur! In primis
verò *Electorem* nostrum illustrissimum sospitem incolu-
memq; diutissimè conserva, ut pietatis & literarum stu-
dia

dia clementer defendere, omnesq; actiones & conatus in
SS. Numinis ac Nominis tui laudem & subditorum incre-
mentum salutariter dirigere queat. Redde etiam nobis,
ô Deus! LUTHEROS similes, ad propugnanda sincera
dogmata Heroas, qui sancto accessi Spiritu, gregis tui com-
moda quærant unicè. Benedic laboribus docentium pa-
riter ac discentium; donec tandem, ex hujus mundi syr-
tibus eluctati, & umbratilis vitæ scopulos prætervecti, ad
exoptatissimum illum salutis portum, ad cœlestem illam
Hierosolymam, ad innumerabilem Angelorum cœtum
ac concionem primogenitorum, qui in Cœlis con-
scripti sunt, ad sanctum illud Sanctorum
confortium, commigremus.

IMMORTALI DEO GLORIA.

Ad Literatissimum Juvenem,

DN. JOHANNEM FROMMIUM,
cùm Orationem de LUTHERO habitam ederet.

Natalem, FROMMI, celebras vitamq; LUTHERI:
Facunde laudem quam pietatis habes?

Quisquis depulsas tenebras, lucemq; reductam
Gaudet, quâ pateat rursus in astra via;

LUTHERUM nostro natum gratabitur ævo,

Et meritum tanti grande piamq; Viri,

Aut multâ laude ipse vehet, quò secula discant;

Aut tibi laudatum, quò sciat ipse, leget.

AUGUSTUS BUCHNERUS, P. P. & Acad. Senior.

ES ist ein edler Blut auß Japhets Blut entsprossen /
als grosser Luther du / du theurer Gottes Man /
Dieweil des Himmels Geist / so über dich gegossen /
an dir ein Wunderwerck der Erden dargethan.
Es zitterte der Pabst / der falsche Peters Erbe /
da ihm dein Federkiel die dreygethürmte Krohn
auff

auff eine seite schob. Sein Ublas und Gewerbe
bekam mit Tuhels Krahm den umbgestoßnen Lohn.
Du schicktest ihm zu trotz nicht weit von unsrer Elbe
die heyliglose Bull / Decret und Alcoran
durch Feuer in die Luft / und fastest auff dasselbe
das Türck- und Judenthum in ihrem Grewel an.
Als Keyser Carol dich auff sein Geleit verschrieben /
ward dein beherzter Muth noch kühner auffgeweckt.
Du werest dieses mahl von Worms nicht weggeblieben /
wann schon die Tächer dort mit Teufeln überdeckt.
Da / da bekantest du die wahre Glaubenslehre.
Es stund das ganze Reich / ja fast die ganze Welt
nicht anders als entzückt / daß du vor Gottes Ehre
dich kleinvermeynten Mann zu sechten dargestellt.
Doch fiel der Sieg auff dich / den wir noch täglich lesen /
Es ging die Christenheit auß Babilonscher Noth.
Wie da dein Leben schon dem Pabst ein Gift gewesen /
so ward dein sanffter Todt ihm nachmahls gar ein Todt.
Nun hast du dort zu Lohn die Sternenkron gefunden /
allhier den Lorberkranz / den keine Zeit verlegt.
Schau / wie mein werther Fromm dergleichen Laub gewunden /
und durch gelehrte Schrifft auff deine Grufft gesetzt.
Wohlan / uns mag der Pabst und Teufel wiederstreben /
Wir sechten noch vor Gott und Luthers Lehr allein /
und wollen auch / wann wir in gleichem Wandel leben /
mit dir / ach seelge Seel / gewiß gekröhnet seyn.

Christian Adolph Balduin / der Rechte Best. und R. Edelg. P.

Dem wird sein Segel voll mit Glückes-Wind geblasen /
Und wirfft das Anker-Seil hindurch der Wellen rasen /
Wer umb den Leit-stern weiß / als einen Schnur-Compaß /
Der ihm stets unverrückt giebt Wege / Ziel / und Maas.
So seegelt ihr auch fort mit aufgeblasnen Flachen /
Durch Glückes Freundlichkeit / in guter Gunst-anlachen /

Herr

Herr Fromme werther Freund / hin auff das Musen Feld /
Woselbst euch Pallas schon den Lorbeer Kranz bestellt /
Umb weil ihr rüstig seyd / und füsset zu beginnen
Als eures Vaters Geist das Haupt der Parnassinnen
In Brennons Fürsten-Burg / woselbst euch die Natur
Der Parken Zügel ließ in angewünschter Ruhr.
Ihr seyd auff Kunst bemüht / im Marmor einzupregen
Was Welt und Himmel heist: man muß euch Lob abwegen!
Was Luther lauter hat auß Gottes Wort gelehrt /
Dadurch den Ablass-Krahm / und Pabste Dunst zerstört /
Das rühmet / preiset ihr / das haltet ihr für allen
Als euer Heyligthumb: Ihr lasset euch gefallen
Der Arbeit sauern Schweiß / und deneket flüßlich nach
was frey begleitet sey hin unterm Musen Dach.
Seyd ferner so bemüht / und ehlet aufzufahren
Bis an den Mittel-punct der Kunst-geübten Schaaren /
Ihr wisset den Leit-stern schon / und habt das Anker Seyl:
Ein jeder wünscht euch fort zu dieser Aufflucht Heyl!

Also beehrte seinen / nebst andern / umb sein selbst /
und umb das ganze Geschlecht der hoch-
werthen Musen Freundschuldtast

Martin Alleman / der Rechte Befüssener.

Signa pedum Magni sequeris praecleara Parentis,
O FROMMI! dilecte DEO, meritoq; probate
Doctis multa Viris, dum in laudes ora resolvis,
Quo non majorem tot secula tulere, LUTHERI.
Maeste pio Juvenis caepo, sic itur ad astra!
Cunctipotens caeli Reetor Tibi premia digna
Pro pietate tua persolvat, TEq; LUTHERUM
Invictum sequier per ξ λ ο ν religionis,
In Patris Clari jubeat spem crescere certam:
Ut quondam doceas Oracla salubria Verbi,
Cujus vis sternit vel Demonas armipotentes,
Laurusq; in caelo Tibi circum tempora serpat.

Honoris & amoris ergo deprop: a

FRIDERICO ab HAGEN.

n. e.

en-Seld/
t/

ur

wegen!

stört/

nach

/
Seyls

selbst/
och-

fliffener.

op:a
HAGEN.

.e


ULB Halle 3
004 957 148


VDTT





quam pr
condidera
cateri ver
blattis &
tarum fig
omnium
quibus Di
co optimo
signabant
ab his an
numinibu
vix majo
Italiam su
quam lat
potentie
lus, hos
Septemtr
sui nobisc
Regum el
munitam
mo inerm
bertatem
tem etian
struebant
die, doli
set, cona
Nequicqu
liber, illa
Quamdi
tantos fu



Servatore
arsensis, &
enebris cum
ia, & poë
manibus,
ises, nescio
ISTO, uni
vota sua as
as infelices:
tutelaribus
as; & qua
Neq^s verò
Romana; ;
tenebat im
tonum tel
bant. Neq^s
tes corporis
opibus, tot
te annorum
gressus ho
ocavit ad li
s in liberta
m in ipsum
audes, insi
sura, si pos
conantis?
atq^s exhibat
finiendus.
uis, contra
Quis crede
ret?

